

Christ-
church.
Twinham.

Registrum
monaste-
rii.

Alanus fl.

Newforest.

Eulogium.

Beaulieu.

fuo excipit *Stour* fl. à Durotrigibus descenden-
tem, ubi ad confluentes interfidet emporiolum
frequens, hodie ab æde Christo sacra *Christ-church*,
olim quod inter amnes interpositum, *Twinambur-*
ne, eodem plane sensu, quo Italiæ *Interamna*. Ca-
stello quondam firmatum, & antiqua Præbenda-
riorum ecclesia ornatum, quæ Saxonico seculo
constructa, à Radulpho *Flammard* Episcopo Du-
nelmensi (qui ibi Decanum egerat) regnante
Guilielmo Rufo restaurata, & à Richardo de *Ri-*
paris Devonix Comite, cui Rex Henricus Pri-
mus hunc locum in *feodum* contulit, magnis redi-
tibus locupletata, ad Regis Hen. VIII tempo-
ra, & summam illam monasteriorum horam fuit
celeberrima. Sub hoc *Stourus*, & *Avena* uno con-
iuncti ostio in mare effunduntur, quod Ptole-
mæus ALAVNI fl. ostium dixit, & recte qui-
dem. Nam *Avenam* proprium fuisse huic nomen
minime mihi imperare possum ut credam, cum
sit commune, & Britanni ea dictione omnia flu-
mina designent. *Alaun* autem olim dictum existi-
marim, quod ejus nominis superstites sint reli-
quix in viculis assidentibus, utpote in *Allinton*, *Al-*
lingham, &c.

Ad hujus ripam Orientalem Guilielmus Nor-
mannus oppidis, villis, & sacris ædibus longe la-
teque excisis, miserisque incolis ejectis, omnia
per triginta plus minus in ambitu milliaria, in
ferarum lustra, & saltum redegit, quem nos
Newforest, Angli illo seculo *Ttene* dixerunt. De
quo Gualterus Mapæus, qui illi ævo proximus,
Conquestor terram Deo & hominibus abstulit, ut eam di-
caret feris, & canum lufibus, à qua triginta sex matrices
ecclesias extirpavit, & populum earum dedit exterminio.
Hoc autem fecit vel ad tutiorem accessum in
Angliam Normannis suis præstandum (Norman-
niæ enim objacet) si eum quasi bello perfunctum
gravior in hac insula tempestas exciperet; vel ad
voluptatem, quam ex venatione caperet vel ad
pecuniam sibi undiquaque corradendam. Ille
enim feris, quam hominibus æquior, pecunia-
riam multam, eamque gravissimam, & supplicia
alia graviora constituit, si quis suas feras venare-
tur. Sed huic regis importuno facto divina vindic-
ta non diu defuit. Richardus enim filius ejus
secundo-genitus, & Guilielmus Rufus Rex An-
gliæ, alter etiam filius in hoc saltu perierunt; hic
sagitta à Gualtero *Tirell* fortuito transfixus, ille
pestilenti aura afflatus. Henricus item è Rober-
to filio natu maximo nepos, dum in hoc feras
contentius insectaretur, ramusculis appensus ani-
mam efflavit, ut etiam nepotes parentum delicta
luere doceamur. De hac *foresta* circumferuntur
I. Whiti Episcopi Wintoniensis versiculi, quos,
quamvis falso Rufum regem instituisse innuant,
cum multis tamen placeant, mihi etiam hoc in
loco subungere non displiceat,

Templa adimit divi, fora civibus, arva colonis
Rufus, & instituit Beaulensin rure forestam;
Rex cervum insequitur, Regem vindicta, Tirellus
Non bene provisum transfixit acumine ferri.

Beaulense Rus vocat, eo quod in proximo Io-
annes Rex Monasteriolum posuit, à bello situ
Beaulieu dictum, quod ad patrum usque memori-
am celeberrimum: asyllum utique intemeratum,
& tutus perfugis receptus, unde homicidas

quantumvis sceleratos, vel læsæ majestatis reos
abripere nefas, & piaculum nostri quondam ex-
istimarunt. Adeo ut majores nostri, cum ejus-
modi Asyla, sive *templa* (ut vocant) *misericiæ*,
passim per Angliam instituerint, Romulum sibi
potius in exemplum proposuisse videantur, quam
Mosem, qui consulti homicidii reos ab altari
avelli iussit, ut moriantur. Illisque tantum asy-
lum collocavit, qui fortuitum homicidium per-
petrassent.

Verum ne tantus ad mare terrarum tractus,
quantus hic saltus est, præsidio nudus, & hosti
expositus jaceret, Henricus VIII munitioni-
bus armare cœpit. In lingula enim longius pro-
minente, unde brevissimus in Vectam insulam
trajectus, *Hurst* castellum extruxit, quod mari
circumquaque minatur. Magisque ad Ortum al-
terum etiam propugnaculum excitavit, *Calshot*,
pro *Caldshore* vocant, ut Southantonienfis portus
ingressum tueretur. Hic enim retractis magno
recessu littoribus, & Vectæ insulæ objectu por-
tus fit egregius, quem Ptolemæus TRISAN-
TONIS fl. ostium vocat, ut mea quidem fert
opinio, pro *Traith Anton*, id est, *æstuarium Anton*.
Eodem enim fere nomine Ninnio antiquo au-
thori *Trabannoni ostium* appellatur. Flumen autem
influens, quod hodie *Test*, superiori ætate, ut est
in Sanctorum vitis, *Terstan*; atque olim *Ant* vel
Anton, dictum fuisse *Antport*, *Andover*, & *Hanton* op-
pida, quæ incumbunt, quodammodo loquuntur.
Tantum abest, ut ab Hammone Romano ibi in-
terfecto dictum credam: quod tamen fabulatur
Monumethensis, & Poëta ejus affecla, qui de
Hammone sic ludit,

Ruit huc, illucque, ruentem

Occupat Arviragus, ejusque in margine ripæ
Amputat ense caput, nomen tenet inde perempti
Hammonis Portus, longumque tenebit in ævum.

Cæterum huic portui imponitur *South-hanton*
urbecula, in cujus proximo ad Ortum æstivum,
alia eodem nomine olim floruit, quæ CLAV-
SENTVM Antonini, tam ex distantia hinc à Re-
gno, quam inde à *Venta* videatur: utque *Trisanton*,
Antoni æstuarium, sic *Clausentum Portum Entum* Bri-
tannice significat, *Claudh* enim Britannis idem
denotare accepi, quod *χρονος λιμην* Græcis, id est,
portus effossa terra extructus. *Hanton* autem &
Henton hunc locum dictum fuisse, non est cur quis-
quam dubitet, cum in libro quo Angliæ lustrum
condidit Guilielmus Primus, totus ager expresse
Hantscyre, & *Hentscyre* alibi dicatur, & ipsum oppi-
dum ab australi situ *South-anton*. Cujusmodi fue-
rit non facile quis dixerit, sedem habuit eo loci,
ubi campus est, quem nunc S. Mariæ vocant, ad
portum usque pertigit, & alteram fluminis ripam
occupasse videatur, nam paulo superius ex op-
posito ad *Bittern*, *Franciscus Mills* vir optimus, qui
illic habitat, mihi ostendit rudera, parietinas, &
fossas antiqui castri quod in ambitu quingentos
passus colligit, & accedente æstu tribus ex par-
tibus aquis late circumfunditur. Vetustatem ve-
ro ita probant antiqui Romanorum imperato-
rum nummi subinde effossi, ut si non fuerit ca-
strum veteris Clausenti, facile judices ex illis cu-
nimentis fuisse, quæ Romani in littore Oceani
ad meridianam plagam (ut habet *Gildas*) ad re-
pri-

Asyla.
Exodi 21.
Iosephus
lib. An-
tiq. 4.

Hurst-
castle.
Calshot
castle Tri-
antonis
fl. ostium.

Southan-
ton.
Clausen-
tum.

Bittern.